BIBLIOTECA COMUNALE DI ENNA

BIBLIOTECA COMUNALE DI ENNA

BIBLIOTECA COMUNALE DI ENNA

BIBLIOTECA COMUNALE DI ENNA

INSTITUTIONES
LOGICÆ, ET METAPHYSICÆ.
TOMUS II.

BIBLIOTECA COMUNALE DI ENNA

BIBLIOTECA COMUNALE DI ENNA

INSTITUTIONES
LOGICÆ, ET METAPHYSICÆ,

IN QUIBUS DIVINITAS RELIGIONIS CHRISTIANÆ NATURALI RATIONE CONTRA INCREDULOS DEMONSTRATUR:

JUSSU REVERENDISSIMI P. M.

JOANNIS CAROLI VIPERÆ

MIN. S. FRANCISCI CONVENTUALIUM

GENERALIS MINISTRI

IN GYMNASIIS SUI ORDINIS PERCURRENDÆ.

AUCTORE

P. M. JOSEPHO TAMAGNA ROMANO

Ejusdem Ord. olim in Seminario, & Collegio Montisfalisci Phil. & Mathes. nunc vero in Archigymnasio Romanæ Sapientiæ S. Theologiæ Dogmatico-Scholasticæ Publico Professore.

TOMUS II.

DE JURE, DEQUE RELIGIONE NATURALI: DE REVELATIONE DIVINA, ET DE RELIGIONE CHRISTIANORUM DISSERTATIONES CONTINENS.

ROMÆ MDCCLXXVIII.

Ex Typographia S. Michaelis, apud Paulum Junchi Provisorem Librorum Bibliothecæ Vaticanæ.

SUPERIORUM PERMISSU.

BIBLIOTECA COMUNALE DI ENNA

METAPHYSICÆ

PARS V.

DE LEGE NATURALI.

1599. Hic ſtatutos ab univerſis ferme Metaphyſicis Scientiæ hujus fines prætergredimur ; ſi enim paucos admodum excipias , ceteri omnes nonniſi , quæ hucuſque ſumus proſecuti , tradiderunt : ſed , meo ſaltem judicio , perperam ; quantum enim urgeat neceſſitas Incredulos noſtri ævi (qui ſcilicet errores quoque Veterum renovarunt) confutandi neminem latet , ac breviter adnotavimus (n. 351.) . At in hujuſmodi tradenda Scientia parum de re tanti momenti ſunt Metaphyſici ſolliciti : Theologi e contra nonniſi de rebus a Revelatione pendentibus putant ſibi eſſe diſputandum , Hinc ergo fit , ut adoleſcentes poſt immenſam navatam operam dogmatibus Philoſophicis , & Theologicis ſciunt quidem , quinam fuerint Phantaſiaſtarum , Monotelitarum , Manichæorum , Luteranorum &c. errores ; at quot commenta noſtri ævi impietas confinxerit , egregie ignorant : unde & illud accidit plerumque , ut qui ſatis verſatus eſt in hæreſibus jam ferme obliteratis , atque penitus deletis , is ſumma ignoratione eorum laboret , quæ modo ne fœminæ quidem ipſæ neſciunt . Cum ergo non utilis tantum , ſed & penitus neceſſaria ſit demonſtratio divinitatis illius Religionis , quam ſupremi Numinis beneficio

maximo profitemur, quamque veluti pro aris, & focis Libertini omnes contendunt, phanaticorum esse commentum, ideo eam statuimus non omittere. Pensantes autem, num Theologiæ revelatæ, vel potius Metaphysicæ foret reservanda, certissime duximus, ad Metaphysicam æquo jure pertinere; Metaphysico enim, non Theologo, qui Revelatione utitur, convenit de iis disputare, quæ sola naturalis ratio determinare debet: sic vero procul dubio se habet negocium, de quo agimus, sive materiam agitandam, sive adversarios, quos impetimus, inspiciamus; materia hæc Revelatione nequit pertractari, alias supponeretur, non demonstraretur Revelationis infallibilitas: adversarii autem Revelationi tantum auctoritatis concedunt, quantum somniantium ægrotorum speciebus. Igitur, ut ad metam viam nobis aperiamus, ducimus prius de lege agendum esse naturæ, unde Religio profluit naturalis: ad cetera deinde progrediemur.

CAPUT I.

De origine & existentia Legis naturalis.

1600. QUidquid sit de vocabuli *jus* ætimologia (num scilicet a *justitia*, ut Ulpianus *Instit lib.* 1. *t.* 1. vel potius a *jubendo*, ut aliis placet, puta Festo Grammatico vetustissimo: vel tandem a corrupto nomine *Jovis* primum in *jouris*, deinde in *juris*, ut Ugoni Grotio arridet in *Proleg. lib. de jure belli, & pacis*) circa quod non consentiunt Eruditi, certum est, multiplici in sensu vocabulum *juris* usurpari: 1. nempe sumitur pro *lege*: 2. *pro adjuncto personæ*, ut ait Grotius, seu pro facultate quidpiam faciendi, vel habendi: 3. *pro adjuncto actionis*, quo in sensu hæc dicitur justa, aut licita: 4. tandem *pro scientia legum*, easque interpretandi, applicandique arte. Duobus primis modis frequentissime, 3. & 4. nonnisi rarissime *jus* sumitur. Breviter hæc omnia explicemus.

1601. *Jus* itaque sumptum *pro lege* sic definitur a S. Tho-